



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. X. Doctrinas, cum per nullum sensum possint intrare, ante in animo latuiße, esse autem necessariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## N O T A E.

Etsi S. D. admiserit species intentionales rerum corporearum tum in sensu externo, tum interno : species tamen intelligibiles scientiarum & disciplinarum, nullas agnovit, ut clare ex hoc capite colligitur. Censuit enim doctrinas liberales animo nostro insitas, & quasi naturaliter congenitas, ut de primis principiis aliqui philosophantur. Vnde conclusit eas nullis imaginibus egere, cum per seiphas intellectui praesto sint.

Durand. 3.  
d. 33. q. 1.  
ad 2. Dom.  
Soto. 1.1.  
de just. &  
jure q. 6.  
a. 1.

## C A P. X.

*Doctrinas, cum per nullum sensum possint intrare, ante in animo latuisse, esse autem necessariam alterius veluti admonitionem, ad eas eruendas.*

1. **A**T vero, cum audio tria genera esse quæstionum, an sit? quid sit? quale sit? sonorum quidem, quibus hæc verba confecta sunt, imagines teneo, & eos per auras cum strepitu transisse, ac jam non esse scio: res vero ipsas, quæ illis significantur sonis, neque ullo sensu corporis attigi, nec uspiam vidi præter animum meum, & in memoria mea recondidi, non imagines earum, sed ipsas. Quæ unde ad me intraverint, dicant, si possunt. Nam percurro januas omnes carnis meæ, nec invenio, qua earum ingressæ sint.

2. Quippe oculi dicunt: si coloratae sunt, nos eas nunciavimus. Aures dicunt: si sonuerunt, à nobis indicatae sunt. Nares dicunt: si oluerunt, per nos transferunt. Dicit etiam sensus gustandi: si sapor non est, nihil

Q 7

me

me interroges. Tactus dicit: si corpulentum non est, non contrectavi : si non contrectavi, non indicavi. Vide, unde, & qua hæc intraverunt in memoriam meam? Nescio quomodo ; nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, & vera esse approbavi : & commendavi ei tanquam reponens, unde proferrem, cum vellem. Ibi ergo erant, & antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. Vbi ergo ? aut quare cum dicerentur, agnovi, & dixi : Ita est, & verum est, nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota & retrusa, quasi in caveis abditioribus: ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem ?

## N O T A E.

Doctrinas, cum sub nullam cadant sensum, ante in animo latuisse concludit, quia vero obruuntur aliarum rerum cogitationibus & imaginibus, egere aliquo monitore, ut eruantur, sive in actum prodeant.

## C A P. XI.

*Discere res sensu non perceptibiles, nihil esse aliud, quam ea, quæ in memoria indisposita & abstrusa erant, cogitando quasi colligere, & ordinare.*

I. **Q**uocirca invenimus, nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus, sicuti sunt, per seipsa intus cernimus : nisi ea, quæ passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum